

THOMÆ ACETI

ACADEMICI CONSENTINI, ET VATICANÆ
BASILICÆ CLERICI BENEFICIATI

IN GABRIELIS BARRII FRANCICANI

De Antiquitate & situ Calabriae

LIBROS QUINQUE,

*Nunc primum ex autographo restitutos ac per
Capita distributos,*


PROLEGOMENA,

Additiones, & Notæ.

QUIBUS ACCESSERUNT ANIMADVERSIONES

SERTORII QUATTRIMANI

PATRICII CONSENTINI.



ROMÆ MDCCXXXVII.

Ex Typographia S. MICHAELIS ad Ripam.

Suntibus Hieronymi Mainardi.

SUPERIORUM PERMISSU.

lusulam, ut apparet ex saxo & Epigrammate marmori sculpto.

(e) *Torentinis* & *anguillis uber*. Trutas intelligit, quas nos trottas appellamus. Vocantur tamen ab antiquis *Varius*, & *Lupus Varius*.

(f) *Batum flumen*. Batum flumen est illud quod *Sabatum* appellat Antoninus Pius, *Ocy narum* & *Terinam* alii, prope *Terinam* urbem. Plinius vero post *Laum Batum*, seu *Ealetum* recenset, quia nullo ordine in *Cosmographia* utitur.

(g) *Ursimarsum*. Oppidum ab eventu fortasse, hoc est ab urfi mortuo in a verso, dictum *Albistrum* olim, Ptolemæo *Ursomartium*, quod ibi sint urfi pugnantes & bellantes, hoc etiam epithetum dedit Virgil. Lupo, *Martius a stabulis lupus*, quod armenta depopuletur, tanquam miles. Creditur a Barrio *Albistrum*, vel *Numistrum*; sed nemo potest priscarum urbium certum designare locum, cum omnia bellorum injuria mutata sint, & nomina corrupta: satis erit, si non tenuerimus ex animo rem, si prope accedamus. Plinius lib. 5. cap. 11. *Nume-*

pranos inter Mediterraneos *Lucanorum* locat.

(b) *Fœnicula marina*. Critami appellantur.

(i) *Vernicarium* forte *Aprustum*. Plinio. *Vernicarius* putatur a Barrio *Aprustum*; sed cum Plinius *Aprustenos* Oenotrorum non Brutiorum vocet, non video quomodo descendam in hanc opinionem: nam si diceret, *Brutiorum* laberetur, & sibi ipsi contradiceret, cum *Consentia* describeretur in mediterraneis Brutiorum.

(k) *Inde est Summuratum oppidum*. Credit hic *Summuratum* esse oppidum illud, quod nunc *Castrovillarum* appellatur; sed potius est illud, quod nunc *Moranum* vocamus, nomine paululum ab antiquo immutato. Sed cum in antiquissimo saxo legatur *Muranum*, credendum est *Muranum* esse *Murano*, & *Summuratum* *Castrovillarum*.

(l) *Tenesus campus dictus*. Dicitur campus *Temesius*, non *Tenesius*, a *Temesa*, seu *Temese* Civitate; Quia *Temsa* dives erat agri, ac suos fines longe lateque protendebat.

C A P U T III.

De *Sybari*, & *Isauro* fluminibus; *Saracena*, *Altimontio*, *Nineto*, *Policastrello*, *Folono*, *Agatha*, & *Gineto* Oppidis.

HIC Sybaris fluvius oritur: non longe a Summurano *Syphæi* oppidii vestigia visuntur, cujus meminit Livius, quod una cum aliis quibusdam *Calabriæ* oppidis ad Romanos rediisse tradit. (1) (a) Ubi Summurano abieris tenderisque ad occidentum, *Saracenam* oppidum inuenies, *Sestum* olim, ut conjicio, dictum, ab Oenotriis conditum, ut scribit Stephanus, qui ait: *Sestium urbs Oenotrorum mediterranea*. Abest a Summurano m. p. quatuor, quod *Garga* fluvius adlabitur frigidissimus qui *Sybari* miscetur. In delubro, quod divo *Leoni* est dicatum, quorundam sanctorum fru-